

VK  
15387



N

144a

Vk  
1538

*Lies hier B*  
**DE  
CVLTV LVCORVM ET NEMORVM  
APVD VETERES.**

Bon der  
Religion der alten Völker in Haynen und Wälbern.



COMMENTATIO  
VIRO  
PLVRIMVM REVERENDO DOCTISSIMO QVE  
**M. DANIELI NEUMANNO**

ANTEA SPITZKVNNSDORFFENSIVM PASTORI FIDELISSIMO  
NVNC APVD HAYNEWALDENSES SACERDOTI

RITE VOCATO CONSTITVTO QVE  
IPSO DIE

QVO INGREDIEBATVR  
**NOVUM SVVM OFFICIVM.**

A. P. C. N. CIO ID CC LXI. D. I. NOV.

QVI ERAT FESTVS SS. TRINITATI XXIV. SACER

AMICITIÆ CAVSA OBLATA

A  
**FRIDERICO SAMVEL SCHNEIDERO**

P. C. GYMN. ZITTAV. COLLEG. ET SOCIET. LIPS. ET ZITTAV. SODAL.

ZITTAVIAE  
TYPIS IOANN. GOTTL. NICOLAI.

444.6.

2.177



2 Corinth. VI, 17.

Τὸ παλαιὸν ἐπέρισσον, νὸς ὁ πᾶς ἐγών  
ὅλας κακάδεις.





xoptatissima tandem se offert occasio , TIBI VIR PLVRIMVM RE-  
VERENDE , DOCTISSIME , AMICORVM CHARISSIME , TIBI , in-  
quam , animi mei in TE propensionem , meumque officium  
pariter ac pietatem , et si satis levi scripturae genere commonstrare . Per-  
illustris enim , ac antiquitate generis , propriisque meritis ipi Regi Borusso-  
rum Potentissimo charus , Illique a Cubiculis Dominus SAMVEL FRIDE-  
RICVS DE CANITZ , Director officii Sehstenfis , Dynasta in Haynewalde ,  
Oderwitz , Spitzkunnersdorff , Medniken , Buksehnen et Mühlfeld etc . ad  
patrios TE devocat lares , ut ibi religionis nostrae sanctissimae doceas myste-  
ria . Quanta eam ob causam laetitia afficiantur Senex integerrimus , Pater  
Tuus , prifica fide uirtuteque conspicuus , Frater germanus , Vir honestus et  
probus , caeterique cognati et amici Tibi charissimi , facile mihi possum

imaginari. Ignoscet ergo et mihi, si me illis addo Socium, sinceraque congratulatione observantiam erga Te meam praesenti elaboratione significo. Scio Te multum delectari veterum monumentis, in eaque pars meum est Tu studium ac delicium. Pervagatus enim varia in campo, quem uocant literarium, satis amplio, nullibi generis humani inconstantiam atque lubricitatem magis licuit animaduertere, quam ubi de religione cultuque Dei agebatur. Praecipue uero admirabar uetustissimorum populorum conuentudinem fere uniuersalem, Deum in lucis nemoribusque colendi. Idem adhuc pensum perscrutabar, cum mihi annunciatetur, Te propediem mutaturum esse Spitzkunnersdorffensem diocecesin cum Haynewaldensi. Tum sic mecum reputo: idem ille pagus, sine dubio prisca temporibus nomen suum accepit a loco sacrato, Germanis ut et Sorabis, qui diu has regiones Lufatorum tenuerunt, Hayn, dicto. Etsi uero non penitus probauerim amici cuiusdam conjecturam, dicentis, se habuisse ante urbis nostrae incendium, codicem manuscriptum satis antiquum, ubi, quotiescumque mentio facta fuisset illius vestri pagi, semper scriptum fuisse Haynwale. Primum, pergebat amicus integerrimus, uitio peruersae pronuntiationis hanc scriptiōnē laborare autem abam: at cum saepius ipsissimis characteribus repeteretur, persuasum mihi fere habeo, hunc locum nomen acceptissimum ab Hayn et walen, wahlen s. wallen, quod est, proficisci. Nullus enim dubito, habuisse nostris in confiniis gentiles suos lucos. uariis consecratos diis. Vnde enim horum locorum nomina der Hayn, (melius dicitur der Hayn,) Ottenhayn, Lichtenhayn &c. unde, inquam, felicius possent deriuari, quam a delubris sacris veterum Soraborum? Tamen in eo subdubitabam, quod satis constanter affirmare auderet, in eo ipso loco, quo nunc stat splendidissima arx, A GENEROSISSIMO TWO PATRONO, in semipiternam SVI SVORVMQVE memoriam exstructa, fuisse forte lucum sacrum, ein Hayn, quo certis, statisque temporibus, pro more eorum populorum, conuenienter religionis ergo, dahin die Heyden ein Wallfart gehabt habent.

Non per omnia, fateor, hanc sententiam probo. Hoc tamen nulla prorsus caret probatione amplius, post doctissimorum uirorum elucubrationes in nostris quoque hisce regionibus, Sorabos perplurimos habuisse

isse lucos, ubi summa ueneratione rem sacram facere credebant. Colles, montes, nemora, sylvae, flumina, fontes, ipsa natura loci, gentem superstitutionibus deditissimam uocabant, inuitabant. (\*)

Rudera, quae adhuc in Superiori Lusatia uariis in locis uisuntur, ut in pago Oehna prope Budissiam, ubi Flins colebatur, cuius etiam imago horribilis fane, Gorlicii in platea longa, auf der langen Gasse, conspicitur assuerata; ut in uico Weigsdorff, ubi nescio cuius dei habuerunt delubrum; ut in uariis pagis qui spectant inferiorem sic cognominatam Lusatiam, ubi ipse uidi partim indignabundus, partim laetabundus certissimas reliquias Sorabicae idolomaniae, spectacula ac monumenta, quae longissimum tempus delere haud potuit. Admodum Reuerendus Pastor, Dominus M. SCHMIDIVS, amicus noster communis, Vir doctissimus, antiquitatumque ut est studiosissimus ac experientissimus, mihi, cum ipsum aliquando amicitiae causa uisitarem, tales reliquias commonstrauit uisendas, in tribus colibus qui prope Melaune, Arnsdorff et Seyersdorff adhuc supersunt. Ipsa terrae uiscera, quae ab agricolis perarantur testimonia perhibent amplissima.

In uicinia Tua, ante paucos annos iuxta syluam quandam effossa est parua imago deastris cuiusdam, ex indurato limo facta, quae adhuc rerum peritis admirationi est in Bibliotheca splendidissima SENATVS AMPLISSIMI ZITTAVIENSIS; ibique uaria multa hic pertinentia spectare licet, summa cum animi delectatione. Sepulcra, quae nonnunquam nostris temporibus deteguntur, idem confirmant. Sunt uero plerumque iisdem in locis

A 3

ubi

(\*) Conf. I. C. Blum de *devotiose Besieq.* Lips. 711. A. C. Eschenbach de *consecrat. gentil. lucis*, Jen. 686. D. Dresler de *lucis reliq. gentil. destinat.* Lips. 720. F. G. Freytag de *sacris gentil. in montibus*, Lips. 719.

ubi amoenissimae arbores umbram spargunt. Istiusmodi sepulcrum in nostra vicinia paucis abhinc annis reperiebatur ab agricolis, extrahebanturque exinde lanceae ferrum, duoque acinaces mirabili magnitudine ac bonitate, quos spectabilis quondam mercator huius urbis, certo pretio suos fecerat, antiquitatisque causa diligenter afferuabat. Prouoco ad urnas s. ollas sepulcrales, quarum magnus numerus in praedicta **BIBLIOTHECA ZITTAVIENSI** afferuantur, maximam partem in locis vicinis effossas. Innumerabilia Soraborum sepulcra conspicuntur in pago Kofel, adiacentesque syluae illis fere ubique replete sunt, et illi quibus huius nationis idiomma cognitum est, perhibent firmissimis rationibus innixi, ipsum pagum a sepultura accepisse nomen suum, ut Daubitz, qui non longe abest, a querubus, quorum ibi magnus est prouentus, et quae, ut relatum legimus, a Sorabis sanctissimo cultu prosecutae fuerint. Sorabi enim, Slavorum gens, e remotissimis terris per Poloniam hoc ueniens, hanc consuetudinem Deos in lucis colendi, partim secum adduxerat, partim ab Ilingis, quae Sueorum erat familia, quibus cum armis dimicabant, et quos tandem uel opprimebant, uel expellebant, didicerant, et posteris temporibus, cum a Saxonibus, imperatoribusque Christianis sub iugum mitterentur, uix ac ne uix quidem cogi poterant, ut lucos relinquenter suos, quibus adeo asfueti erant, ut, si etiam illi destruerentur funditus, tamen ab illis iterum pro uirili restituerentur, quotiescumque illis occasio dabatur. In sylvis uero, aliisque nemoris locis uel imprimis colebant Sorabi Deum **FLINS**, de quo supra, et qui maxime illorum erat numen **praecipuum**, qui superiorem tenebant Lusatiam. A Lothario Saxone A. C. 1126. hoc idolum demum est sublatum penitusque destructum, quod iam antea Henricus V. A. C. 1103. feruore sancto comminuerant. **ZVTTIBER** s. Suitybor, quod pinetum sacrum innuit, syluam habebat prope Mersburgum a Brotuffio ample descriptam, cuius uestigia adhuc in sylua ad Salam fluvium sita, conspiciuntur. Destrueretur enim ab Episcopo uenerabili Wigberto. Deae Marzanae, quae mortem significat, Poloni quidem praecipuos lucos consecrabant, ibique conueniebant ad rem sacram, cum feminis et paruulis: sunt tamen, qui idem fecisse Sorabos, contendunt. Non procul ab Aldenburgo stabat **PRONE** s. PROVE, dea agriculturae, cui ibidem lucus addictus erat, nemusque consecratum ab Episcopo Geroldo, laudabili ardore tandem

dem deuastatum. RADEGAST in sylua densissima colebatur, intacta et uenerabilis omnibus, praecipue Luteciis siue Lusatiae inhabitatoribus. PROVO, iustitiae deus, nulla tamen effigie expressus, in Wagria, in nemore quodam, inter uetusissimas arbores, sacrasque querqus, uenerabatur. Et ut reliqua idola taceam, eorumque lucos consecratos a Sorabis, Bohemiae uicinae cultoribus, probatae fidei uiri adducam uerba, qui sic dicit: Lucos habebant, eximias procerasque arbores in syluis singuli sacro-fanctas, easque cultu latriae uenerabantur ita, ut uiolare eas ferro, iniuria uaria aliqua, nefas esset. Haec eorum pertinacia, et in lucis, montibus et delubris idolomania, durauit usque ad A. C. 1127. Praeterea notandum est, Prussos habuisse quondam Deum, Pufcaetum nomine, quem sa-cris lucis, imprimis praeesse credebant, quemque nulla imagine exprimi posse dicebant, quia spiritus esset inuisibilis. Redeo ad Sueuos, a quibus Ilingi, antecessores Soraborum, qui a Seneca in Medea dicuntur: NOBILES LVCIIS HERCYNII. Extenderant uero illi fines suos usque ad eum tractum, ubi nunc Gorlicium est situm. Ibi, si Aventino credimus, Hermioni VIII. Regi nationis suae, syluam consecrarunt, litaruntque manibus eius sanguine humano; quod quidem in dubio relinquimus, siquidem haec relatio tantum extat in germanica Aventini uersione, non item in latina. Insuper Aventinus, ut ut uir probus et diligens, non idem ille est, cui semper fides sit adhibenda. Sueui, ortum trahebant a Germanis, in eisque erant nobilissimi, ut et fortissimi, quod eorum facta probant, auctoresque fide dignissimi consentiunt. Hos secutos fuisse etiam in ipso religionis ope-re patres suos Germanos, quis est qui dubitet? Iam uero illi, sunt uerba Taciti, lucos et nemora consecrabant, deorumque nominibus appellabant secretum illud, quod sola reverentia colunt. In insula quadam Oceani lucus erat consecratus Deae HERTHAE, qua terram intelligebant, quod ipsa uox germanica innuit; in finibus Cheruscorum habebant syluam Herculi s. ut alii uolunt Heermanno dicatam; et sacrum Batauorum nemus Baduhennae quis ignorat? Posthabitum enim sedibus iunctis, discreti ac diuersi colebant, ut locus et campus et nemus placebat; cumque denum saeculo V. et VI. a N. C. in Germania extruerentur urbes et pagi, hi a campo, syluis, riuis, fontibus et montibus potissimum appellabantur. Ut breuis sim, libenter concesserim linguam maiorum nostrorum equidem fuisse longe

longe diuersissimam ab illa, qua Sorabi utebantur, hoc tamen exemplis compluribus haud aegre probauerim, multa Germanorum uocabula apud Sorabos remansisse, ut etiam nunc apud illos uidere licet et audire. Sed quorsum haec omnia? at euincam uocabulum Hayn una cum religione et ueneratione lucorum a Germanis transisse ad Sorabos, non vice uersa, ut quidam nugare uidentur. Germani enim multo ante, quam Sorabi, floruere imperii et rebus gessis. Cum uero pars eorum cogeretur terra excedere, illamque relinquere irruptentibus Slauorum cohortibus, factum est ut illi quoque partem religionis, cultusque deorum retinerent. Quid enim conuenientius erat eorum superstitioni? Templa exstructa non inueniebant, at satis erat, possidere lucos, quos iam antea Germanus religioni destinauerat. Memini, me audiuisse in patria mea charissima Misnia, rusticos in pagis suis saepe hac formula uti drunten im Hayne (i. e. im Hayne.) Perquisiti saepius, ubinam esset ille Hayn? et plerumque erat infinitus locus pagique angulus remotissimus. Cum uero ibidem nullas plane animaduerterem arbores, iterum illos interrogaui, qua ratione dicenter im Hayne, cum istud uocabulum syluam quandam innueret? Respondebunt quidam e senibus, se audiuisse a patribus suis, olim ibi fuisse arborum tractus densissimos, qui uero successu temporis iussu nobilium fuissent excisi. Statim mihi antiquissimam Germaniae faciem ante oculos posui, quod inter alios ad satietatem usque explicare mihi uisus est SEBASTIANVS MANN im kurzen Entwurf der Stadt Hayn in Meissen, 4. Dresden 1663. Germani Gallis erant uicinitate coniunctissimi. Nihil igitur obstat quin credam, Germanos quoque partem religionis ab illis accepisse. Ut enim fieri, solet, sacra aliarum gentium primum oculos curiosorum attrahunt. Ecquis non credit Germanos obstuuisse, quotiescumque illis occasio datur sacris eorum interesse aut uenerandum chorum Druydom aspicere? Non adeo obtulerant pectore; capiebantur ergo, et imitabantur uisa. Quod Druydes Gallorum attinet, eorumque religionem, ut ita dicam, quernam, et si quis plura desiderat, adeat si placet Iulium Caesarem, Plinius, Strabonem, Diodorun Siculum aliosque, et reperiet omnes in eo conuenire, quercum, (quam sua lingua Deru uocare solebant non ergo a Graecorum Δερος) tanto in honore habuisse ut nulla sacra sine illa fronde conficerent. At unde hunc morem didicerint, altioris est indaginis.

Sunt

Sunt qui eum Romanis, sunt qui Graecis debere credunt. Neutrorum placet sententia, sed isti mihi rem acu tetigisse semper sunt uisi, qui ab ipsis Hebraeis illum deducunt. Galli enim et Germani, cum essent fratres, uetusissimis gentibus sunt annumerandi, nec ulla unquam uera amicitia inter illos et Romanos fuit; unde difficulter adducimur in eam sententiam, quod maiores nostri primis temporibus rationem colendi Deum tunc demum acceperint ab illis, quibus infensissimi hostes essent. Quidni ab Hebreis quorum fama per uniuersum orbem terrarum erat celebratissima praecipue quod punctum religionis attinebat. Placet interim ad Romanos descendere, in eisque perquirere num etiam pari ratione coluerint lucos? Ante omnia uero uocabuli ratio est habenda. Quod Iohannes Scoppa Collect. L. I. C. XVIII. Luci etymon e Syriaca s. Aramaea lingua deducere studeat, a Luca nempe, quod Seniorem significaret, ridiculum profecto est: Audacter equidem progreditur, more procacium Grammaticorum, et dicit: Propria definitione lucum esse Senatorum curiam, templum, collegium, fretus Virgilii uerbu Aeneid L. VII.

*Templum augustum centum sublime columnis*

*Horrendum syluis et relligione parentum.*

Satis mihi dixisse videor, si consulo MARTINII euoluere Lexicon philologicum, ubi expressis uerbis in uoce, Lucas, Lucam pro sene, inquit, in Syriaca lingua non inuenitur. Transeat igitur haec sententia cum eorum quoque ineptiis, quae tamen aliquo modo possent tolerari, qui illud nomen Graecae originis esse existmant, deducendo illud a λόχος, unde λόχια, et λόχιades οὐλαχ. Quid multis uerbis opus est? Lucas uenit a lucendo. Quamus enim in lucis densitate ramorum lux coeli excluderetur ut nempe secretum loci, et horror umbrae fidem faciat et praesentis numinis, ut Seneca loquitur Epistol. XLVIII. Attamen arbores illae sacro igne collustrabantur APPENSIS LVCERNIS. Hinc celebrat PRUDENTIVS arborem uitattam sumificis lucernis. Quid Critici de distinctione inter lucum, nemus saltum et syluam dicant, huc non pertinet nec est nostri instituti.

Satis est si scimus lucum Romanorum plerumque fuisse apud locum constitutum densissimis arboribus ubi conueniebant ad sacra procuranda. Et ut arctius me cohibeam, indicabo tantum, in ipsa urbe quam plurimos extitisse lucos, nec longius eam indagabo sententiam, qua is extremae impietatis coarguebatur, qui in villa sua non habebat lucum, quod Wowarius in Libro de Vmbra declarauit; et Plutarchus multos circa Romanam resert lucos Quæst. LXXXVII. Ipsius urbis tantum celebratissimos nominatim enumerabo de quo amplius Onuphr. Panuinius in Reipubl. Roman. Comment. In regione IV. commemorat Lucum querquetularium, Memphitis, Iouis Viminei etc. In regione IX. Lucum Petilinum maiores, Lucum Victoriae, Lucinae etc. in regione XI. Lucum Semelis, Saturni etc. in reg. XIII. Lucum Laurentinum, Platanorum, Loreti minoris et maioris etc. Sed quid opus est pluribus uerbis, cum antiquitatum scriptores fere omnes perhibeant plus quam XXX. Romæ fuisse lucos. Hinc Lucaria s. dies festae in quibus sacra peragebant in lucis consecratis; hinc Lucuci, custodes lucorum. Confirmat etiam LIPSIUS, inter tecta et domos inclusas aliquando sylvas, et intermixtas ueras fuisse aues docet L. II. Admirand. Quo referendus est locus HORATII L. III. Carm. Od. X.

*Audis quo strepitu ianua, quo nemus*

*Inter pulcra situm tecta remugiat*

*Ventis?*

Et uerbus TIBULLI L. III. Eleg. III.

*Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.*

At enim uero, quoniam haec luxuriam magis redoleat Romanorum quam eorum religionem sciens ista praeterea. Id unum addo quod Cato in L. de R. R. referat modum consecrandi lucum. „ Porco, inquit „ optimus ille pater familias, piaculo facito. Sic uerba concipiuntur: Si „ Deus si Dea es, quoium illud facrum est, ut tibi ius fiet porco piaculo „ facere

¶ O ¶

---

„ facere, illiusce sacri coërcendi ergo. Harum ce rerum ergo siue ego,  
„ siue quis iussu meo fecerit, ut id recte factum fiet, eius rei ergo te hoc  
„ porco piaculo immolando bonas preces precor ubi fies uolens propitius  
„ mihi domo familiaeque meae liberisque meis. Harum ce rerum ergo  
„ inacte hoc porco piaculo immolando esto.


II

His finitis, oritur Quaestio : Vndenam haec omnia acceperint  
Romani ? Facilis est responsio cui nota est Romanorum cum Graeciae po-  
pulis coniunctio. Quid illi de lucis senferint, nobis nunc erit dispicien-  
dum, antequam ad ipsissimum fontem huius cultus deueniamus. Lu-  
cus Aesculapii apud Epidaurios scriptoribus satis celebratur, quem ne-  
mo debebat ingredi sub poena mortis. Si qui religionis causa aduenirent,  
quod plerunque ab iis siebat, qui morbo quodam laborabant, e longinquo  
stantibus dei referebatur responsum. Lucis Nemaeis, portiu Cotyos,  
nemore Cereati , oraculo Dodonaeo quid unquam in Graecia illustrius ?  
Haec omnia delubra in nemoribus et plerunque quernis posita erant.  
Praecipue stabat iuxta Dodonaeum oraculum annosa quercus , Ioui sacra-  
ta, ex qua uaticinabant duea columbae, quas fatidicas credebant esse  
Sibyllas. Quid diutius moror ? Eadem lucorum fuit religio Graecorum,  
quae aliarum gentium. Nullum plane est dubium, quin haec omnia Grae-  
ci didicerint ab Hebraeis, de quibus ultimo loco dicendum erit. Nam  
quod se Graeci ἀντοχῆσεν uocitauerint, perhibuerintque omnia excogi-  
tasne nec ab aliis quicquam didicisse, fastui illius gentis facile condonandum  
existimo, cum uiderent corum potentiam prae reliquis terrae populis esse  
late patentem. Videmus id ipsum nostris temporibus, ubi saepe discepta-  
tiones grauissimae oriuntur ob huius uel illius artis inuentionem, quam  
sibi arrogant hi uel illi. Risum tenent sapientiores, qui commune arti-  
um uinculum noscunt, et intelligunt qua cognatione haec omnia inter se  
contineantur. Persuasum enim satis habeo sapientes Graeciae uel ab He-  
braeis, uel ab aliis quibusunque populis, parum enim refert, accepisse  
consuetudinem Deum in lucis consecratis colendi. Nullus moucor Grae-  
corum sophismatibus, quae pueriliem certe dicacitatem sapiunt, ubi fae-  
pius detorquent uocabula, ut modo Graecae originis esse uideantur.

B 2

Quis





Quis enim aequo animo feret e. g. si illi satis strenue perhibeant Ιεροσολυμα descendere απο της συλης των ιερων? Quid non sunt ausi detorquendo audacissime sanctissimum nomen Iehouae ut cultum Bacchi fui instaurarent, quem facta mutatione literarum nominabant Ιωω, Ιευω, Ιαβε, Ιαε, Ιε, de quo tamen ipse Diodorus Siculus: παρα de τοις Ιεδαιοις Μωσην τον Ιωω ἐπικαλεμενον θεον προσποιηθα τοις νομισσι διδοντας. Nullius gentis linguae pepererunt. Arabum deum Du-shara uertunt θεον ταχην, idque dictum esse perhibebant quasi θεος Αγης quod tamen falsissimum. Hinc Clemens Alexandrinus non immiterto Graecos uocat latrones et fures, qui a Prophetis Hebraeis partes ueritatis sumissent (*μερη της αληθειας*) et si bi tanquam propria attribuisse dogmata. Tertullianus non inconcinnus ait: Quis Sophistarum qui non de Prophetarum fonte potauerit? Minutius, Lactantius, Theodoretus, Iustinus, Tatianus uel imprimis, Eusebius, Augustinus aliquie id idem unanihi confenserunt.

Hinc eruditissimi uiri eo laborauerunt ut rapinas Graecorum detergent. Fecit id Theodusius referente Gennadio, qui iam circa annum Christi 580. uixit commentatione quadam pererudita, qua fabulas poëticas fere omnes ad ueritatis normam perpendit. Secutus est Thomas de Waldeis, libro cui titulus: Concordia inter sacram scripturam et fabulas poëticas pia moralisatione. Ridiculus sane libri titulus, at non ridicula materies. Farinator quidam librum conscripsit sub nomine: Lumen animae: in eoque totus est ut Platonis, Aristotelis, Galeni, aliorumque sententias cum diuina ueritate comparet. Simile quid fecerunt BESSARION, PIVS MIRANDVLANVS, MARSILIVS FICINV, MVTIVS PANSA, alii. Instar omnium uero est A. STEVCHVS EVGVBINVS in libro rarissimo, cuius exemplar ex Biblioth. beati Gerlachi, Gymnas. nostri quondam Direct. meritissimi, Praeceptoris mei nunquam sine summa ueneratione cognominandi, mihi felici omni obtigit, de perenni Philosophia, cuius lectione quondam celebris ac peruicax Atheus Petrus Rufus ad meliorem frugem rediit. Longe rariorem et si minus accuratiorem amicus mihi quondam communicauit libellum Venetiis impressum, cui in fronte titulus: Simia Dei dia bolus

bolus, ubi auctor satis pie eandem materiam pertractauit. Plura qui desiderat adeat Ph. Mornaeum, Grotium et Sam. Bochartum.

His omnibus perfectis nemo amplius dubitat quin Graecia pluri-ma debeat in religione Hebraeis. Ergo et cultum lucorum. Peruenimus usque ad fontem, ut dixi superius, cultus lucorum. Non pugnabimus cum illis qui ad multo uetusiores gentes prouocant, non abnegantes eorum existentiam, sed de quibus apud omnes fere autores altum silentium. Longe aliter seres habet cum Hebraeis; illi nobis satis ample describuntur in sacra scriptura. Antequam rex Iraelitarum iussa a Deo acciperet templum exaedificandi Hierosolymis, Iudei sacra faciebant ubique placentebat. Nec obstabat arca foederis, sed prolubitu eligebant lucos, densissimasque sylvas, quoniam illis tales loci aptissimi uidebantur, Deum in solitudine colendi. Nec cultus iste primis temporibus deo dispicebat, dummodo fiebat sine omni superstitione, quod etiam factum fuisse credimus.

Non errauero si crediderim hunc modum Israëlitas naturae ducebibi excogitassem. Quis enim locus aptior esse posset pietati, quam ille qui est remotissimus ab omni strepitu? An non et illi, qui quod sperant, non habent, ueniunt inter densas fagos, ibique syluis et montibus foli sua carmina dicunt? Abrahamo obuiam ueniebat Deus sub queru in agro Schechemitano, ubi tum altare exstruebatur, Genes. XII. Quid in nocentius esse poterat, quam istum deuenerari locum quem deus sua praesentia dignatus esset? Quanto grauior postea erat error, cum posteri e. g. locum in querubus Mamre (der Hayn Mamre) superstitiose uenerarentur, ita ut Iosephus, illum ad sua usque tempora a variis populis summa religione cultum, certisque anni temporibus uisitatum fuisse, cui adspicuntur Isidorus Sozomenus, Hieronymus, aliquie.

At nemo reprehendet Abrahamum quod plantauerit in Bersaba arborum congeriem. (*λύν δειδησων ουτειαν*) Ipsi interim Hebraei quorum animus pronus atque paratus erat ad malum, ibi, ubi maiores ante exercuerant pietatem sinceram, erigebant ethnicorum simulacra, falsorumque deorum, a quo ne quidem abstinuit rex alioquin sapientissimus Salomon. Quare non sine summa animi commotione relatum legimus, Israelitas semper in peius irruisse, et si docti essent in ueritate ipsa; ab eoque turpiter defecisse, a quo ab antiquo nutriti et electi fuissent. In lucis non solum colebant alienos deos, sed etiam arte conficiebant tales lucos, quos non inepte portatiles uocare possemus, et quos adeo in ipso templo Hierosolymitano per multos inueniebat pius Rex Israelitarum Iosias, qui eos destrui ac igne deleri iubebat. Reliqui interim gentes eundem modum seruabant. An Aegyptii illud ab Hebraeis primum dicerint, an contra, intactum relinquo, nec multum refert. Id saltim adeo uerum est ut nemo dubitet Curtii relationem esse uerissimam, Aegyptios diis Lucos consecrasse cum describit Iouis Ammonis lucum L, IV, Cap. VII. Scimus etiam ex Kircheri Oedip, eundem populum habuisse iuncosum lucum, in quo Beelphon constitutus fuerat, aliosque lucos locosque frondosos in diuersis locis, ut Heliopoli, Canopi, Sai, alb.que. At quid inde concludimus? Ab Hebraeis sine omni dubio omnes reliquos terrae populos successu temporis longissimo accepisse consuetudinem Diis consecrandi Lucos. Hinc Graecorum, hinc Romanorum, hinc Gallorum et Germanorum, hinc Sueorum, Ilingorum denique et Slauorum et Saborum mos et consuetudo, qui ultimi nobis praecipue sunt commemorandi, cum eam regionem quam nunc incolimus longe lateque et satis diu sub suo tenuerunt imperio. Tantum ualuit pruritus imitandi apud universos fere populos, et profecte mirum est, quod homines sibi non semper imponant bona quaueis ad imitationem. Ut ut enim maiores nostri plura habuerint, quae imitatione essent dignissima, attamen etiam in multis misere fallebantur. Hinc quotiescumque nobis exempla ueterum proponimus, talia sunt assumenda, quae pietatem augent, uirtutem promouent; cetera aut nihil sunt facienda aut paruipendenda. Peccant in eo saepius qui nimii sunt antiquitatis cultores, ut enim in opere religionis illi proderent peruicacem impietatem, sic ali in eo quod mores respicit indica-

dicarent ridiculam sane obseruantiam. Ecquis enim sapientior sine risu eo adigit Philosophiae cultorem, ut utrumque latus contegat pallio loquacido, inepto sane nostris moribus uestitus genere, si quotidie deberet gestari, eam ob causam, quia ueteres illo essent usi? (\*) Cur non illi ridiculae antiquitatis amatores quoque fudent, imo edicto praecipiunt seuerissimo, si fieri posset, ut etiam Philosophi finant excrescere barbam ad eam usque prolixitatem, qua quondam in honore erat summo? Nihil fere est quod mutationi non sit obnoxium, et multa quoque sunt, quae saluis bonis moribus mutari possunt imo et debent, pro ratione temporum. Imitemur bona quaevis ac necessaria, detestemur mala, et relinquamus dubia, in dubio, bene memores dicti Horatiani quod nihil sit ab omni parte beatum.

Tuum Haynewalde, VIR PLVRIMVM VENERANDE, DOCTISSIMEQUE, cui nunc praeficeris SACERDOS DIGNISSIMVS, nominetenus saltim spirat summam antiquitatem, et ipsa natura coaptauit locum pietati, secessui et studio. Aggredere nunc opus Domini, in ipso loco natuitatis Tuae, iusu Dei T. O. M. permisso Perillustris ac generofissimi Domini Collatoris, uoto Tuorum. Nihil noui suscipis, sed iam plures tuam pietatem uitae, et dexteritatem doctrinae experti sunt, experientur et breui Haynewaldenses. Deus Tibi largiatur uires necessarias, ad ea perficienda, quae in honorem sui peragenda suscepisti. Nec Te deterreat officii Tui grauitas, a cultura elegantiorum literarum; sed quid timeo? nunquam Te deterruit, nec unquam certe deterrebit. O! quam dulce Tibi erit patriae solum! Video Te iam animo meo pro rostris sacris stantem, ibi que

(\*) Conferat. *Programma eruditissimum Viri celeberrimi Milleri Rect. de pallio philosophico, Vlm 1761.* worzu das Manteltragen in den heutigen Schulen Gelegenheit gegeben hat. S. Erlang. Gel. Anmerk. 1761. XL. St. p. 319.

VR. 1538. A.

que de sanctissimis rebus uerba facientem. Conspicio Te in conuentu et confessu sanguine coniunctissimorum; Deprehendo Te in museo musis litantem. Miraberis forte imaginationis meae uim, et celsabit omnis admiratio, sibi Tibi placet considerare, quanto officio Te semper coluerim, quanto ardore exoptauerim olim Tecum in uicinia - - -

Sed transeat et ista omnia, modo nunquam, quod certissime spero, Tua erga me transeat amicitia. Viue diu felix, meique semper memor. Scribebam Zittauiae.



Zittavia anti,  
qua-

Seest  
m

ti,,  
V018

ULB Halle  
007 490 739

3







N

## Farbkarte #13

B.I.G.

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Cyan	Green	Blue	Indigo	Orange	Pink	Light Blue	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	Light White	Dark Grey	Medium Grey	Light Grey	Very Light Grey	White	Black
8																							
7																							
6																							
5																							
4																							
3																							
2																							
1																							
1	Centimetres																						
2																							
3																							
4																							
5																							
6																							
7																							
8																							



DE  
VM ET NE MORVM  
ETERES.

n der  
r in Hähnen und Wäldern.

NTATIO  
R O  
ndo doctissimoque  
**NEUMANNO**

ENSIVM PASTORI FIDELISSIMO  
ALDENSES SACERDOTI

CONSTITVTOQUE

DIE

EDIEBATVR  
**M OFFICIVM.**

CC LXI. D. I. NOV.

TRINITATI XXIV. SACER

AVSA OBLATA

VEL SCHNEIDERO

SOCIET. LIPS. ET ZITTAV. SODAL.

VIAE  
OTTI. NICOLAI.

2.177